233
115

Vir Sum̃e Reverende, Amplissime,

Patrone Aestumatissime,

Ignosce quaeso tardius quam par erat desideriis tuis obsequenti. non enim voluntas, nec inserviendi promtitudo, sed potestas exequendi defuerunt. Curia nostra moris antiqui tenacissima, nec quicquam publicae supellectilis ex urbe, nisi cautiõne praestitã dimittens, nec me, nec Rev. Neumañum nostrum Fidejussorem agnoscere volebat, cum Statuta Reip. nostrae non nisi civem, domûsq. possessorem, ad fidejussionem admittant. Sed defectum hunc nostrum sponte suã supplevit Senator Urbis nostrae strenuus, literariae rei juvandae natus, Ferd. Ludovicus de Bresler et Aschenburg, qui facultatum suarum oppignoratiõne perfecit, ut Codex, quem hic fidei tuae permitto, transferri Berolinum concederetur. Spero itaq. ex utroq. opere hic conjuncto aliquid emolumenti Celeberri-

233v

mo Editori venturum, cum præcipue
Autor Historiæ Hussitarum quem Tis qui-
dem addictum, Riccardorum tn. sortem fuisse
deprehendi, ea, quæ fidelibus oculis et auribus
in veritate percepit præsenti paginæ duxit
scriptoribusque fideliter comendandum, ut ipse in
præfatione loquitur. Per spacium itaque trime-
stre codex hic usibus vestris inserviet,
ex quo tamen ne aliquid citetur, quod Reli-
gioni Romanæ in terris nostris, ut nobam,
vigide satis dominanti, contrarium, periculum
nobis creare possit, enixe rogo. Per eun-
dem Presterum Berolinensem, Fidejussoris
nostri Fratrem, qui jam codicem traditurus
est, idem pro lubitu vestro remitti poterit.
ego vero, prout in præsenti aliqualem in-
serviendi occasionem nactus, in sinu gaudeo,
sic quacunque occasione data me ad officia
qualibet promtum paratumque fore, sancti
promitto. Vale, Vir Celeberrime et
ut solitus hactenus fuisti, favere perge
Sume Rever. et Amplissi. Nominis tui

Wratislaviæ
III Calend. Decembr. A. O. R. MDCCXIII.

Cultori officiosissimo
Gottlob Kranzio.

Hanc historiam manuscriptam eandem esse
conjicio quae a M. Procopio Lupatio in sua
rerum Bohemicarum Ephemeride, et a Zacha-
-ria Theobaldo juniore, in Bello Hussitico
saepius allegatur sub nomine M. Laurentii
qui a Theobaldo Professor Pragensis dicitur.
Eadem enim pene verba proferuntur a
Theobaldo p. m. 17. fin. et 18. init. quae in ms.
Fol. IV. a. circa Eclipsin Solis quae incidit in
7. Jun. 1415. verba ms. sunt. Item VII. die
mensis Junii quae erat festum post Bonifacii
hora 9. (forsan 6. lapsu calami obvio) eclipsatus
est totus Sol, ita quod non poterant Missae
sine luminibus celebrari in signum quod
Sol justitiae Christus in cordibus praelatorum
multorum ad mortem M. Johannis Hus de
proximo mortificandi anhelantium. Haec
codex ms. ubi aliquid deest, nempe, ~~obfu~~ obfus-
catus ~~est~~ esset. Verba Theobaldi sunt
Ideoque M. Laurentius in suis historiis scribat
Constantiae, absque candelae lumine missam nullam
celebrari potuisse, in testimonium Solem justitiae
Christum in Praelatorum qui Hussum interimere
jam decreverant cordibus obfuscatum fuisse.

Je vous prie, Monsieur, d'asseurer Mr
Crantzius de ma reconnoissance et de mon
respect, et de le prier de chercher encore
quelque chose sur ce sujet, et d'envoyer la
Liste de ce qui se trouvera. Lenfant
ce 31. oct. 1714.